



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvgensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Abusus est, qui Parocho suo Officio interdicat. 10

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

suam non Christi gloriam ambientes; tam ignari omnis Ecclesiasticæ disciplinæ, ut ignorent, Parochos, si forte ceciderint, suos habere iudices, non ipsos Fratres censores, multo minus promiscuam plebem; quam, exploratum est, mutuis Ecclesiasticorum viro- rum amarulentis detractionibus adeo non emendari, ut scandalizetur multo magis. Nec audiendi sunt isti, si servos Dei acculare se dicant ut meliores fiant, quum potius invidiæ stimulis adulationisque quam charitatis studio agitati convincantur; id ipsum vel propria eorum conscientia attestante; quod sciant, nul- lum vel in seculo, ne dicamus in eorum Mo- nasteriis, inveniri, qui velit suum servum ab alio, quam à se, judicari; adeo ut, si quis secus facere præsumpserit, hunc & multa sequatur indignatio & ulciscendi cupiditas. Quin Paulum audiant dicentem: Nolite iudicare invicem; sed hoc iudicate magis, ne offendi- culum detis fratri.

CAP. IX. *Non ferendi, qui in Iurisdictione & potestates temere ad plebem invehuntur.*

Multo minus ferendi sunt, qui, ut aulam venentur popularem, in Iurisdictione Episcopales ac Ordines Ecclesiasticorum pariter & civilium magistratum invehentes, temere vociferantur ad populum; non intelligentes interdum, neque de quibus loquuntur, neque de quibus affirmant. Quo nihil aliud efficiunt, quam ut plebem, alioqui satis in Clerum irritatam, irritatiorem reddant, ac gliscenti seditionum igni oleum subministrent. Iurisdictiones ac Magistratus esse oportet. Quod interdum, personarum non Ordinis seu Magistratus vitio, peccatur, aliâ providentiâ purgandum est, non cæco plebis iudicio expendendum. Fraternali correptione opus erat, non accusatione aut laceratione ex suggestis. Et, ut omnia non statim ad vivum usque repurgentur, quod fieri vix potest; non gravabuntur isti oculati in se quoque descendere, ac suos erratus inspicere, quo tandem æquiores fiant, divinisque judiciis etiam quædam relinquunt. Si enim omnia (ut scite Anacletus ait) in hoc seculo vindicata essent, locum divina iudicia non haberent. Sed de his satis.

CAP. X. *Abusus est, qui Parocho suo officio interdicit.*

EX his, quæ diximus, consequitur, eum morem, qui alicubi irrepit, penitus irrationabilem, ne dicamus execrabilem abusum esse, quo legitimi Ecclesiarum Parochi adi- guntur iurejurando affirmare, sese in suis Ec-

clesiis Fratres mendicantes ad verbi ministere- rium (etiam si ipsimet, pro ratione suscepti ac concrediti muneris, eo fungi velint) perpe- tuo admissuros. Quid enim hoc more aliud agitur, quam ut Parocho Officium, quo se Christo & Ecclesiæ obstringit, adimatur, ac in alium relegatur? Id vitium, ut spes est, cura- bimus.

CAP. XI. *Fratres mendicantes his Synodalibus constitutionibus erunt parentes.*

Æ Quum quoque censemus, ut, qui ex Fratribus huic muneri accingi velint, Nostri Vicariis in Pontificalibus serio promittant, sese hisce Synodalibus institutis om- nino obtemperaturos, quo sermo Dei pure, sincere, ac sine offensione decurrat.

CAP. XII. *Decet quoque, ut Fratres eatenus Ordinariæ potestati subjiciantur.*

Q Vi ut Ordinariæ Nostre potestati, quod ad ejusmodi functionem attinet, sub- jiciantur, & eatenus Monasticæ professionis Regulis obligationibusque eximantur, non decens tantum sed & justum putamus.

CAP. XIII. *De, semel certo loco destinatis ac admissis, non temere retrahendis.*

Q Vi vero semel præsentati & admissi fue- rint, ut certo loco hoc ministerio fun- gantur, non debent temere seu præter No- strum assensum à suscepto munere retrahi. Nam frequentem personarum mutationem, periculosam putamus: ut interim fileamus, sæpe minus idoneum in idonei locum sur- rogari.

CAP. XIV. *Qui, nulla legitima auctoritate nixi, se Verbi ministere- rio ingerunt, uti seditiosi comprimendi.*

E Xtraordinarios Parochos, illorumque legitimos cooperarios, nemo deinceps, neque suggestum occupet neque conventicu- la vel in privatis domibus vel vicis faciat, aut quovis tandem modo usurpet. Quod si quis secus agere præsumpserit, & inobediens per- turbare Ecclesiam Dei (quæ foris est) perse- veraverit, hunc tanquam seditiosum corripi oportet.

Ex decre-
Annale.

Rom. 14.

1 Tim. I.

Matt. 18.

Ex Ca-
non. Ana-
cleti.

Ex Conc.
Antioch.
c. 5.